



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

71. An mutus teneatur confiteri per nutus & signa? Et quid de ignorante  
idioma Confessarij? Et cursim explanatur, quod amentibus à nativitate non  
est danda Eucharistia, nec quidem in articulo mortis, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



Et an saltem sit obligatio sub mortali sapiens intra annum elicere actum contritionis propter vitandum periculum incidendi in nova peccata mortalia? Ex part. 7. tract. 12. & Misc. 3. Ref. 32. alias 29.

Sup. hoc in §. 1. Ref. præcæ- rita.

**A**ffirmativè videtur respondere Cajetan. in *summa*, ver. *Confessio*, §. 5. præsent. Petrus Soto, de *Iust. Sacrd.* sect. 5. de necessitate *Confessionis*. Suarez in 3. part. tom. 4. disputat. 35. sect. 3. num. 10. Fagundez in præcep. *Eccles.* part. 2. lib. 1. cap. 1. num. 16. & Fillucius tom. 1. tract. 7. capite secundo, num. 40. Quia satis experientia demonstrat, eos nunquam vitare nova peccata mortalia, si confessionem per annum integrum differant.

2. Verum Cardinal. de Lugo, de *Sacram. Penitent.* disput. 15. sect. 4. num. 45. & seq. rectè non adhæret huic sententia, & idè sic asserit. Dico primò quod frequentia Confessionis non sit medium necessarium ad peccatum mortale aliquod determinatum vitandum, sed ad peccatum mortale in communi vitandum, non obstat quo minus esset obligatio confessionis frequentis. Hæc videtur esse contra Patrem Suarez in verbis citatis, ejus dictionem de medio necessario ad vitandum peccatum in particulari, vel peccatum in communi, impugnavi, disputatione præcedenti sect. ult. ubi vidimus, non minus obligari hominem ad impediendum peccatum mortale in communi, quando in certò scit sequi ex tali occasione determinata, quam ad impediendum peccatum determinatum, nec ulla apparet ratio discriminis probabilis, ut ibi explicatum est.

3. Dico tamen secundò: non obligantur communiter homines Christiani ad Confessionem frequentem sub peccato mortali propter periculum illud incidendo in nova peccata, si diutius differant confessionem. Hæc videtur esse juxta mentem communem Theologorum qui huc usque talem obligationem non agnoverunt, nec penitentibus de illa scrupulum injeccerunt, nec in publicis concionibus proposuerunt populo tale præceptum; quod argumentum negativum cum tanta universalitate videtur habere magnam vim; neque enim est credibile ignoratam fuisse per tot sæcula hanc obligationem, aut agnoscebatur, fuisse neglectam à sanctissimis, & doctissimis viris, qui licet frequentem confessionem hortati fuerint auditores suos; nunquam tamen sub obligatione illam ipsis proposuerunt.

4. Secundò probari potest ex præcepto Ecclesiæ de confessione annua, quo licet explicitè non auferatur obligatio ex præcepto divino, vel naturali, si quæ est aliunde ad frequentiore confessionem: valdè tamen insinuat, nullam esse talem obligationem. Si enim communiter tenerentur homines ad frequentiore confessionem, superfluum esset præcipere illis confessionem annuam: sicut si Episcopus aliquis legem conderet in suo Episcopatu, ut omnes qui non essent legitime excusati, jejunarent semel saltem in singulis hebdomadis Quadragesimæ: hæc certè lex non solum esset inutilis; sed etiam nociva & scandalosa; quia subditi crederent, se satisfacere suæ obligationi jejunando semel in hebdomada. Similiter ergo nocuisset, lex Ecclesiastica, quia fideles communiter credunt, se satisfacere suæ obligationi per confessionem annuam ab Ecclesia præceptam: multas alias adducit rationes Cardinalis de Lugo.

Quamvis

5. Sed an saltem erit obligatio sub mortali 12-

pius intra annum elicere actum Contritionis propter vitandum periculum illud incidendi in nova peccata mortalia? Cardin. de Lugo ubi supra n. 54. affirmativè respondet, sed asserit non esse necessarium interrogare de hoc penitentem, nec eum admonere in particulari de tali obligatione, & rationes adducit, ad illum & non pigebit.

no. p. 1. sup. hoc lege ta. n. 1. Ref. 32. & 33. & alio. r. 1. fol. 1. h. 1. not.

## RESOL. LXX.

An penitens, qui lubricus, & debilem habet memoriam, teneatur scribere peccata?

Et an, qui peccet saltem venialiter adhibendo nimiam diligentiam & curam majorem, quam oportet in scrutanda conscientia ante confessionem? Ex parte secunda, tractat. 17. & Miscell. 3. Resolut. 46.

§. 1. **M**artinus Bonacina vir doctus in tract. de *Sacram.* disput. 5. §. 5. sect. 2. punct. ult. n. 6. tenet affirmativam sententiam, si possit sua peccata, abque probabili periculo scribere tempore confessionis, aut etiam antea.

2. Sed absolute, & sine ulla limitatione opinionem negativam tenendam esse tenet Suarez tom. 4. in 3. part. disput. 36. sect. 5. num. 6. Valentia tom. 4. disput. 7. quest. 11. punct. 1. circa finem. Henriquez lib. 4. cap. 4. num. 8. Ratio hujus sententia illa est; quia, ut bene notat Vasquez tom. 4. in 3. part. quest. 90. art. 1. dub. 2. num. 24. solum adest præceptum præmittendi examen ante confessionem, non verò conservandi memoriam peccatorum. Ergo non tenemur illa scribere. Imò Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. ad ult. putavit hoc penitentibus non esse consulendum. Sed melius Cajetan. ver. *confessio*, condit. 11. Nugnus tom. 2. in 3. part. q. 9. art. 2. diffin. unica, ver. *circa octavam*, concl. Coninch, de *Sacram.* in 3. p. disp. 7. dub. 9. n. 72. & alij asserunt, licet hoc necessarium non sit, suadendum tamen; quia diligentia hac in re laudanda est, modò evitentur scrupuli, & nimia anxietas; Et notent scrupulosi circa hanc materiam, quo in perferenda conscientia, & numero peccatorum ante confessionem, peccabunt venialiter adhibendo nimiam diligentiam, & curam majorem, quam oportet; quia, ut tradit D. Thom. p. 2. q. 64. art. 1. in omni virtute morali peccatur, non solum per defectum, sed etiam per excessum. Ita Marcellus Mengala in 1. p. lib. 5. c. 9. n. 7. ex mente, & doctrina Navarri in cap. *fratres*, n. 72. de *pen. dist.* 5.

Sup. hoc in to. 3. n. 1. Ref. 101. ult. in principio, de hoc hic loquitur doctrina Refol. 46. gnaner. i. huc,

Sup. hoc in fra lege doctrina 5. ult. Ref. 101. & figurant quamvis citatur in alio §. 1. annot.

## RESOL. LXXI.

An mutus teneatur confiteri per mutum, & signa?

Et quid de ignorante idioma Confessarius? Et cursum explanatur, quod amensibus à nativitate non est danda Eucharistia, ne quidem in articulo mortis, nisi, quando erant sue mentis compotes, devotionem ostenderent in hujusmodi Sacramento.

Et an Confessarius tempore, quo obligat præceptum confessionis, possit absolvere mutum, qui præbet signa doloris, etiam si nullum possit ex ejus signis intelligere peccatum, & alius non adstet Confessarius, qui melius intelligat, quod à fortiori procedit in articulo mortis? Ex part. 5. tr. 6. Resolut. 3.

§. 1. Respon



**R**espondeo affirmativè; nam, ut advertit Hurtado de penitentia, disputat. 8. dispo. 4. conveniunt communiter Doctores eum, qui non potest aliter confiteri, quam nutibus, aut aliis signis distinctis à voce, & à scriptura, ad id tene-ri tempore præcepti, sive pure divini, sive annuæ confessionis, quia confessio potest absque incon-venienti dictis signis fieri; & ideo Naldus in sum- ma, ver. mutus, num. 1. sic ait: Mutus & surdus à nativitate potest confiteri, & absolvi; sed hoc in- tellige de muto & surdo admodò perspicacis ingenij, quod signis & nutibus percipiat, vel saltem in ge- nere detestationem peccati, & propositum abiti- nendi de cætero, & secundo urgeat necessitas præcepti confessionis; & primum dictum satis pro- batur, quia aliàs iste actus judicialis indebitè exercetur, nempe absque causæ cognitione. Se- cundum autem appetitè deducitur à simili de ameni- tibus à nativitate, quibus non est danda Eucha- ristia, nec quidem in articulo mortis, nisi cum aliquando erant suæ mentis compotes, devotio- nem ostenderint in hujusmodi Sacramento. Sancti Thom. 3. parti. quest. 80. art. 1. & tandem idem probatur à simili de muto solum, & ignorante idioma Confessarij, qui potest confiteri, & absol- vi tempore præcepti, si tamen explicet aliquid quod à Confessario intelligatur. Ita Naldus, Cui adde Leonem de officio Confess. p. 1. recollectio. 18. num. 97 & Megala in instruct. part. 1. lib. 5. cap. 8. num. 11. asserentes in tali casu sufficere mutum explicare ea peccata, quæ potest iudicio prudentis. Idem etiam docet Valboa in cap. omnis utrius- que sexus, de penit. n. 37.

2. Notandum est etiam hîc Antonium Fernan- dez in Instruct. Confess. p. 1. document. 4. n. 33. do- cere, Confessarium tempore quo obligat præcep- tum confessionis, posse absolvere mutum, qui præbet signa doloris, etiam si nullum possit ex- ejus signis intelligere peccatum, & alius non ab- sit Confessarius, qui melius intelligat, quod à fortiori procedit in articulo mortis.

RESOL. LXXII.

An mutus, si sciat scribere, teneatur confiteri per scripturam, ut integram faciat confessionem? Ex p. 5. tract. 6. Ref. 4.

**A**ffirmativam sententiam docet Petrus de la Fay de penit. in addit. 3. p. D. Thom. quest. 9. art. 2. disputat. 2. conclus. 4. Fagund. ubi in- fra. Megala in Instruct. part. 1. lib. 5. cap. 6. num. 6. Henriquez lib. 2. de penit. cap. 3. num. 8. & Grana- dus de Sacrament. in 3. parti. D. Thom. controv. 7. tract. 1. disp. 9. sect. 1. num. 4. ubi sic ait: Mutus, qui novit scribere, debet per scriptum confiteri sub ea cautela, ut in una papyro referat numerum, in alia habeat scriptas species peccatorum. Proba- tur, quia qui obligatur aliqua lege, præsertim Ec- clesiastica & magni momenti, maxime si ordi- natur ad implendam legem divinam, tenetur adhi- bere diligentiam, & apponere media saltem non magnæ difficultatis ut legem servet; sed lex annuæ confessionis est Ecclesiastica & magni momenti, ordinaturque ad implendum præceptum divinum confessionis, quia alioqui non constat extra mor- tis articulum de tempore determinato quo per se obligat: ergo qui obligantur hac lege, tenentur adhibere diligentiam, & apponere media non mag- næ difficultatis ut illam servent. Rursus scribere

Tom. I.

peccata, & scripto confiteri, non est medium ma- gnæ difficultatis: ergo qui aliter non potest, te- netur scripto confiteri. In hoc certè discursu ni- hil est quod indigeat probatione, præter ultimum antecedens, quod facile persuadetur; nam scri- bere peccata non est tam immensus labor, & cum mutus ea revocat in memoriam, potest simul scri- ptis mandare. Deinde ea tradere scripta Confessa- rio potius diminuit ruborem, quo suffundatur, qui verbis propriis ea declarat. Periculo autem publi- cationis potest facillime occurrì; nam ex propria domo usque ad Ecclesiam potest charta in mani- bus afferri ne decidat, & cum primum lecta sit à Confessario potest comburi, aut in minutissimas partes discindi; non est ergo periculum publica- tionis, quod alicujus momenti sit: quòd si aliquan- do contingat chartam ea lere, aut propter incu- riam non discindi, & sic in manus aliorum deve- nire, id certè raro continget, & propter casum tam præter communem rerum eventum non est deob- ligandus homo à lege tanti momenti; sic enim etiam accidere potest à Confessario non servari sig-illum, aut confessionem aulici ab alio quàm à Confessario, & non propterea licet absolute deob- ligare homines ab hoc præcepto. Huc usque Granad. cui etiam adde Alphonium de Leone de officio Confess. p. 1. recollect. 15. n. 34. & Doctores, quos citat & sequitur Hurtado de penit. disput. 8. offic. 4. hæc opinio est probabilis.

2. Sed non minus probabilem contrariam sen- tentiam esse existimo, quoad fatentur ipsimet ad- versarij: unde Fagundez p. 2. lib. 1. c. 6. n. 9. ubi sic asserit: Dubium tamen est utrum excludatur pœ- nitens ab obligatione confessionis Quadragesimæ, quando non potest confiteri nisi per scriptum, præ- sente tamen Confessario, quia, verbi gratia, vel pœnitens est mutus, vel Confessor furvus, & non potest se aliis nutibus ipse pœnitens explicare; & certè hæc de re opinio est pro utraque parte pro- babilis. Ita ille. Et ideo Naldus in summa, verbi. Mutus, num. 2. sic ait: Mutus etsi sciat scribere, non tenetur confiteri propria peccata per scriptu- ram, tradendo nempe ipsam Confessario legen- dam; & ratio est, quia talis modus confessionis de se est publicus, est enim scriptura de se publi- ca, unde exponit se pœnitens probabili periculo amittendi scriptum, & quamvis non exponat, quia statim potest rumpi, tamen ille modus con- fiteri est de se & ex natura sua publicus, & ne- mo tenetur sic publice confiteri, ne periculo infamie se exponat, non enim præcepta Ecclesiastica cum tanto rigore obligant. Deinde non tenemur ex vi præcepti confessionis confiteri per interpre- tem, quamvis Catholicus & fidelis sit, & quam- vis ad sigillum teneatur, quia ille modus confes- sionis de se est publicus: ergo neque etiam ex vi ejusdem præcepti annualis confessionis tenebimur confiteri per scriptum, cum æque publicus hic modus confessionis sit, atque ille. Et ita hanc sen- tentiam docent etiam Martinus Ledesma in 2. p. 4. quest. 8. artic. 3. Victoria in summa, num. 173. Dominicus Sotus in 4. distinct. 18. questione secun- da, artic. 6. Navarrus cap. 21. num. 36. Barbo- sa in Decret. Gratian. pari. 2. de penitent. dist. 2. cap. 89. num. 3. Valentia tom. 4. disputat. 7. quest. 11. punct. 1. & alij: Unde, ut dixit, utraque opinio est probabilis.

M 1 RESOL.